

315

313

319

309

324

304

364

264

414

214

Ende

Anfang

304

Haec urbs condita fuit ante incarnationem Domini anno 669, a Pausania, Spartanorum rege, vel Byzanto, eamque Byzantium nominavit, ex opposito sita Chalcedoniae, quae est in Asia in provincia Bithyniae, ipsa vero urbs est in Europa in provincia Trojae. Ea autem cum parva esset, Constantinus Magnus, Roma relicta Papae, anno Domini 316 structis moenibus fortissimis celsisque turribus a se Constantinopolim nominavit, quam ejus successores plurimis tum publicis aedibus tum civium palatiis superbissimis exornare curarunt adeo, ut exteri eo venientes urbis splendorem admirati non tam mortalium quam caelestium eam domicilium dicerent. Erat enim ibi praeter caetera magnificentissima S. Sophiae templum, Justinianum opus toto orbe mirabile, in quo nonginti sacerdotes Deo famulantes erant praebendati.

Erant praeterea portae XI, urbis dignitatem praeferentes, et eam propter pulchritudinis splendorem prisci novam Romam appellavere eo, quod patriarchali sede ac imperiali throno a Constantino redimita fuerit. Haec profecto, ut ita dicam, totius Orientis columen et unicum graecae sapientiae domicilium erat, ubi ita magna concilia, Gratiano teste, celebrata sunt, videlicet sub Theodosio seniore, sub Agathone papa, et sub Justiniano principe, ut in Canon. patet 15. d. c. Sexta Synodus.

Semper erat ibi populi maxima multitudo, quia in optimo mundi loco sit sita, et habuit portum amplissimum. Non erat ibi necessariorum defectus, nec erat angusta aut stricta, sed ampla, ad figuram trianguli, cuius duo latera versus mare sunt, tertium versus terram.

Innumerabiles denique ex hac urbe celeberrima in omni scientia ac virtute clarissimi exiere viri, inter quos Johannes Chrysostomus (**178 a**), ejus urbis episcopus CC. Nazianzenus, Joannes Cassianus diaconus, et novissime omnium Emanuel philosophus et orator eminentissimus, qui litteras graecas in Italiam retulit, quae jam per septingentos annos non fuerunt in usu. Sicut autem clares nobis produxit viros plures, ita malos et perversos multos enutrit filios, fidei destructores et ecclesiae romanae perturbatores; unde multis persaepe attrita malis, ut correcta resipiceret. Ad ultimum autem anno Domini 1453 civitas ipsa a Turcis capta est, et de tali ac tanta urbe Machumetus Turcorum princeps triumphavit tantamque crudelitatem exercuit,

